

*Atheismi sese in Ecclesiam  
insinuantis præstigiæ, in  
epistola cujusdam, F. M.*

**Q**Uod ad me attinet, ingenue fateor, (humillime te ante omnia orans, ne secretum hoc iis reveletur, qui quæ non capiunt, carpunt) quod ab eo tempore, quo res absque præjudicio perpendere cœpi, generalem Dei providentiam agnosco, nullam in orbe sectam, ratione infallibilis certitudinis æternæ salutis, aliis præponendo. Et possum salvâ conscientia regimini cuius vis religionis Christianæ, absque discrimine in externis me subicere: ita ut quamdiu in hac vel illa status rerum & divinæ providentiæ ordo esse me finit, nemini eorum qui ad eandem Ecclesiam pertinent, scandalo esse, aut haberi ab eo pro hæretico possim: quoniam de occultis nulla Ecclesia judicat, & nemini præter solum Deum interni in occulto cordis atque animi, cultus & venerationis ejus ratio reddi potest. In eo quod ad internum numinis cultum spectat, qui quando est verus totam essentiam fidei salutaris in se continet, operando ut semper sim idem. Nec possum etsi maxime velim meam de Deo & rebus ad gloriam ejus pertinentibus sententiam ullo modo mutare, nisi mihi Deus rationem aut penitus adimat,